

in abdito; hostes enim ad certamina adigere summum est periculū, cum necessitas stimulus ille sit, qui hostē ad prælia incitet; ultimum & maximum telum ipsa est, quæ etiam ignaviam acuit, ut ad desperationem, tanquā ad asylum, deniq; confugiat, & cruenta edat certamina.

(A.) Copiosam hic exemplorum messem in agro historico meterelicet: cum primis autem illud, inter Scipionem & Mandonium commissum, prælium, pulchrum hic offert documentū (B.) Nam etsi Romani victores tum evaserint, ex Romanis tamen, sociisque auxiliariis, mille ducenti circiter milites, amplius tribus millibus vulneratis, periēre, ubi minūs acerba victoria extitisset, si patientiore campo, ad fugā capeffendam accommodatiore, fuisset pugnatū. (C.) Macedones quoque hoc ipsum insuper habentes, Romanos ad mare fugientes, aliquando persecuti adeo fuere, ut Romani, dedecore ac necessitudinis telo quasi coacti, dum resisterent, Macedonū fere ducentos occiderint, paremque numerum ceperint. (D.) Et hujus cladis nulla alia causa fuit quā ultimū præfidiū, scilicet necessitas; quæ, cum se recipere tutò ad naves prohiberentur, animos Romanorum, tum desperatione de salute, tum indignatione, irritavit & ad dimicandū ferventiores fecit. Fugientibus itaque hostibus viā intercludere non è re est; siquidem extrema illa, Necessitas aut Desperatio, quum nulli effugio rima patet, hostes rabidos, ac, ne mortem quidem timentes, victores tandem efficit. Raro namque vincuntur, qui ad pugnandum extremā necessitudine coguntur; sed plerumque ipsi vincunt aut clade vincuntur magnā (E.)

A.  
Vern. Inst. Pol.  
l. 4. c. 8.

B.  
Livius.

C.  
Tacit. l. 19.

D.  
Livius l. 9.

E.  
Vernul. d. l.